



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

21. Chrysostomvs ex pacto accipiens pro concione mercedem committit
quidem simoniam, non autem iniustitiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

voluisse, siquidem vnicuique à natura datum, vt se ipsum, quàm potest maximè, seruet & tueatur. *Atque ex his patet ad rationē in contrarium.*

XXI. *Chrysoſtomus Presbyter & insignis Ecclesiastes rogatur à Parocho quodam, vt in dedicatione templi sui ad confluentem magnum populum dicere ex cathedra velit, annuit ille, sed hoc pacto, vt & prandiū liberale & aureū daturū se pollineatur Parocho. Consentit in pactū Parocho, & habita concione Chrysoſtomo lautum prandium exhibet, atque abeunti promissum aureum porrigit. Queritur. Virum loquendo de solo actu concionandi, abstrahendo à labore, sustentatione, vel alio titulo, &c. simonia simul & iniustitia fuerit commissa?*

Videtur nullam commissam esse simoniam accipiendo aliquid pro actu concionandi, cum concionari sit functio Theologiæ, pro qua tradenda aliquid posse dari & accipi, patet ex praxi, & cum pluribus docet Suarez l. 4. de Sim. c. 18. n. 7. & 9. aut profectò non solum simonia, sed etiam iniustitia fuisset commissa, cum Chrysoſtomus nullum habuisset ius accipiendi aliquid à Parocho, vt tradunt Suarez lo. cit. c. 4. n. 7. Lessius c. 35. n. 162. Layman l. 4. rr. 10. c. 7. n. 5. & alij.

Resp. In proposito casu fuisse quidem commissam simoniam, nullam autem iniustitiam. Primam partem tradunt S. Thom. 2. 2.

q. 100. art. 3. ad 2 Caiet. Syluester, Angelus, Paludanus, Lessius, Suarez, Layman, Palao, Tr. 17. D. 3. de Simonia. pun 10. n. 7. & alij communiter. Ratio est. Tum quia concio est actus sacer tam ex parte finis, quàm ex parte principij, cum Prædicatores sint Ministri Dei, & eius loco subrogati. Tum quia actus concionandi ex se & naturâ suâ fertur ad mouendam voluntatem, eamque inflammandam ad omne bonum: actus autem Theologiæ non item, sed instructionem solius intellectûs. Secundam partem docet Vasq. in opusc. de Restit. c. 6. n. 5. & 6. Ratio est. Tum quia vendendo spiritualia nulla fit emptori, per se loquendo, iniuria; quando enim Clerici Math. 10. iubentur *gratis dare, quæ gratis acceperunt*, hoc debitum gratuitæ donationis, non respicit personas, quibus conferuntur, quasi illis debeantur, sed res ipsas, quibus ea reuerentia debetur. Tum quia inæqualitas quæ in actu simoniaco apparet, & iustitiæ repugnare videtur, vitio non est vertenda, cum materia sit incapax æqualitatis; imò malitia huius peccati potius latet in attentata æqualitate.

Ad 1. in contrarium patet ex dictis, actum scil. concionandi non esse actum Theologiæ naturalem, ordinatum ex se solum ad instructionem intellectûs, sed esse peculiare opus Spiritûs Sancti tendens ad inflammandam
hominis

hominis voluntatem ad amorem Dei, ad pœnitentiam &c. Ad 2. dicimus, esto Chrysoftomus nullumius habuerit accipiendi aliquid à Parocho pro concione, quia tamen accepit, isto volente minimèque inuito, quomodo iniustitiam erga ipsum exercuerit?

XXII. *Clara Monialis in nupero Germaniæ bello Monasterio suo expulsa aliquamdiu apud cognatos suos seculares morata est cum aliqua sorore sua Religiosa, ubi dubitans de obligatione sua ad officium diuinum, quod in Monasterio dicere solebat, adiit Confessarium, ei que dubium hoc proposuit, ex quo audiit, se non obligari, quamdiu extranea causa extra Monasterium versetur. Queritur. Reddène dixerit Confessarius?*

Videtur malè dixisse. Ita Suarez l. 4. de Relig. c. 17. n. 9. Palao Tr. 7. D. 2. pun. 1. §. 3. n. 5. & plerique alij, dum vniuersim docent, Religiosos ex eo, quod sint extra Monasterium, non esse extra statum choro deputatum, cum non sint extra statum Religiosum. Confirmatur. Si Clara non amplius obligatur ad horas, dum à Monasterio abest, nullus Religiosus in Sacris nondum constitutus tenebitur ad easdem in itinere, peregrinatione &c. Atqui hoc est absurdum. Ergo &c.

Resp. Bene dixisse Confessarium. Nam
1. Sententia non profus improbabilis est, quã tenent Caiet. in Summa V. hora Can. Emma-
nuel Sa V. hora Can. n. 1. in editione complus.